

III. Ludwig IV. verleiht dem Erzbischof Balduin von Trier das Recht der freien Herberge für Lebenszeit.

1339 März 9. — Böhmer Reg. 3431. — Orig. im Staatsarchiv Koblenz.

Ludowicus dei gr(atia) Romanorum imperator semper augustus. Notum facimus universis, quod ad grata obsequia per venerabilem Baldewinum archiepiscopum Treveren(sem), principem nostrum dilectum, nobis et sacro Romano imperio sepius fideliter impensa favorabiliter respicientes eidem . . archyepiscopo hanc gr(atia)m ad tempus vite ipsius duraturam duximus faciendam et tenore presentium de nostre maiestatis excellentia facimus specialem sibi, quam diu vixerit, plenarie indulgendo, quod, quando et quociens eundem archiepiscopum pro dicti imperii vel dicte sue ecclesie necessitatibus et iuribus vel eorum occasione in expeditione cum suis hominibus armatis per loca aliqua contigerit proficisci, quod idem . . archyepiscopus pro se et suis hominibus secum in expeditione huiusmodi existentibus in locis, per que ipsum transire et in quibus eum cum dictis suis hominibus moram aliquam trahere contingerit, hospitare ac hospitia capere sine cuiusquam reclamacione possit ac alia dicta hec facere, que talis adventitie necessitatis sarcina repentina exigit et requirit, sicut nos ipsi de imperiali excellentia facere possemus, si nostri nominis expeditionem nos contingeret exercere; inhibentes omnibus nostris et imperii subditis, ne prefatum archyepiscopum et suos ea occasione molestant aliququaliter vel perturbent; et si memoratus . . archyepiscopus retroactis temporibus pro dicti imperii seu predictae ecclesie sue necessitatibus et iuribus vel eorum occasione in expeditione cum armatis existens apud aliquos hospitavit et sibi ac suis de hospitiiis providit vel provideri fecit aliaque circa hec exercuit, eundem . . archyepiscopum ab omnibus impetitionibus et offensis, si quas exinde contraxit, habere volumus et presentibus habemus ex nostra imperiali mansuetudine supportatum; inhibentes ut supra omnibus nostris et dicti imperii subditis, ne quis dictum . . archiepiscopum premissorum occasione impetat quomodolibet vel molestet. Harum testimonio litterarum. Dat(um) Franchenfurt IX^o die mensis Marcii anno domini M^oCCC^o tricesimo nono, regni nostri anno vicesimoquinto, imperii vero duodecimo.

Beschädigtes Siegel am Pressel.

Auf der Rückseite der Urkunde: R^a; im Uebrigen Vermerke der Empfängerkanzlei.